



## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio LVII. De citato ab incompetente, & per Superiorem comparere  
prohibito.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

# TITULUS XIV.

## De Dolo & Contumacia.

### DECISIO LVII.

De non comparente, qui ab incompetente se citatum Judice ait, & comparere prohibitus est.

#### SPECIES FACTI.

Wolfgangus Ecclesiæ Collegiæ Præpositus bona quædam immobilia, aliquo tempore litigiosa, Capitul sui mensæ à quodam Nobili de Gienhall recuperaverat ope transactionis, autoritate Principis Territorialis roboratæ, eaque jam ultra 40. annos possessor optimæ fidei detinuit & factus est. Sed ecce! Nobilis de Gienhall offert libellum dicto Principi Territoriali, in quo petit rescissam transactionem restitui in integrum, si- mulque citari Wolfgangum. Citatio proin à Tribunali Laico dicti Principis decreta & intimata est Wolfgango cum copia libelli. At is comparuit quidem per Procuratorem, sed ad excipiendum contra forum, non ad respondendum vel ad litem contestandam; obtulit enim exceptionem fori declinatoriam cum adjuncto, in quo demonstrare sibi visus est incompeten- tiam Judicis Laicalis contra se tan- quam Prælatum Ecclesiasticum, qui

actione personali, qualis est actio ten- dens ad distractum seu ad rescinden- dum contractum, aut potius remedium restitutionis in integrum, cujusmodi intentare intendit Gienhallius in suo libello, pulsari non potest, omni Jure exemptus à Judice & foro laico; nec enim officium Judicis, quod Gien- thallius implorat ad obtinendam resti- tutionem in integrum, de Jure locum habet in loco rei sitæ, sed necessario restitutio peti debet coram Judice, qui respectu illius, contra quem pe- titur, competens est, qualis respectu personæ Ecclesiasticæ est privatimè so- lus Ecclesiasticus. Hac exceptione so- lidis rationibus munita credebat se Wolfgangus securum ab ulteriori ci- tatione; sed contra evenit; nam post aliquot menses altera, eaque per- emptoria citatio, nimirum adjecta comminatione, quòd Judex eo etiam non comparente in causa processurus sit, expedita & Wolfgango insinuata

N n 3

est.

est. Unde ad diem, quæ sibi dicta erat, necesse habuit iteratò exceptionem fori declinatoriam ex iisdem causis opponere, eamque porrigi curavit, adjuncta prohibitione de non respondendo coram Iudice Laico, & quidem sub poena excommunicationis, quam interea Wolfgangus fecit legi-

timus Superior Ecclesiasticus, de eorū rite prius informatus. Quamvis Wolfgangus sub hoc clypeo prohibitionis, ne compareat, ac insuper Canonum exemptione satis se tutum existimet, nihilominus tamen ex quodam adhuc

### QUÆSIVIT,

*An contra Clericum, qui opponit exceptionem fori declinatoriam, & respondere prohibitus est, procedi tanquam contra contumacem possit, casu quo de contumacia accusaretur ab Adversario suo?*

**A**ffirmare fortassis, vel sibi persuadere conabitur non nemo ex his capitibus. I. ex generali Juris dispositione, pro contumaci habentis eum, qui debitè & peremptoriè citatus non comparat cum effectu, seu non respondet. l. 53. ff. de re Jud. cui concordat textus in l. 5. ff. de Judic. ibi: *Si quis ex aliena jurisdictione ad Prætorium vocetur, debet venire*: ergo, si non venit, & non respondet, inobediens seu contumax efficitur, licet aliàs subsistat alienæ jurisdictioni. II. Non obstat qualitas Clericalis in Citato; quia, licet Clerici sint exempti in thesi à jurisdictione Laicali, tamen in multis casibus eidem fit subiectus, ut si conveniatur super bonis temporalibus, quæ in nostro casu sunt in territorio Principis per suum tribunal citantis Wolfgangum. III. Suffragatur Judici citanti præsumptio Judicis, quod habeat meliorem notitiam suæ juris-

ditionis, quàm Reus jurisdictionem ejus negans vel in dubium vocans, estque in possessione juris citandi, quod privari à privato nequit. IV. Jus est cognoscere de sua competenti non Rei citati. l. 2. §. 6. ff. de Jur. & l. 5. cit. ibi: *Prætoris est enim, si sua sit jurisdictio: vocati autem non contemnere auctoritatem Prætoris*. Cuius igitur post primam Wolfgangi exceptionem Iudex Laicus Wolfgangum iteratò citari jussit, præsumptio est, quod interea rem discussit, & apprehenderit, se esse competentem, ergo præsumptio est, quod altera non justè citaverit; si vero justè citavit, contra Jus agit Wolfgangus, si non comparet, consequenter contumax efficitur. V. Nec destituitur citatio renovans Iudex valida ratione; nam per quas causas aliquid fit, per easdem etiam dissolvitur. c. 1. de Re J. X. atqui per Principem territorialem

facta est transactio: ergo per eundem potest dissolvi, & ad eandem rescindendam agi coram eodem; cum eadem sit ratio distractus, quæ constat, eò quod contrariorum eadem sit ratio. VI. Siquis ad præviam citationem comparens simpliciter opponat exceptionem declinatoriam fori de non consentiendo in Judicem, & absque hac protestatione, non intendo Dominæ Judex per hanc meam comparitionem aliter in jurisdictionem vestram comparire, nisi quatenus & quantum de Jure teneor, ut contumax puniri possit. Bald. in l. non videtur ff. de Judic. Imoc. in c. Comana de Elect. Gilhausen in Arbor. Judic. Civil. c. 4. ramo 1. n. 12. r. Sed Wolfgangus comparuit simpliciter non consentiendo in Judicem, & sine dicta protestatione.

Verum quàm infirma hæc sint, & nullius roboris, clarescet ex eorum dissolutione, postquam prius Negativam solidissimis fundamentis stabilivero.

Dicendum itaque, & pro certo tenendum, non esse, quod de Jure timent Wolfgangus, præsertim apud Catholicos Judices, & Jurium non impetitos, qui utique non ignorant, Catholicum esse dogma, quod absque errore in fide negari non possit, Clericorum personas à jurisdictione sæculari exemptas esse. Id enim non modò tradunt SS. Canones plurimis in locis, præsertim in tit. de Judic. & in tit. de Jur. comp. & in tit. de Immunit. Eccles. verum etiam Concilia Generalia complura tanquam omnino certum defi-

nierunt, clarissimè Tridentinum in Sess. 25. cap. 20. de ref. Neque dissentit ullus Scriptor Catholicus. Jam sic: Respondere & litigare coram eo, qui jurisdictionem non habet, vel potestatem juris dicendi, nemo tenetur. l. 3. ff. de Offic. Pres. l. 1. & 2. ff. de Offic. Procons. l. ult. ff. de Offic. Praef. Urb. c. 2. de Const. in 6. Sed in Wolfgangum nostrum, utpote Clericum, de Jure Communi, Divino æquè ac Humano, notoriè exemptum, nullam habet jurisdictionem Judex Laicus: ergo Wolfgangus coram eo respondere, & litigare non tenetur: ergo non respondendo contumax non efficitur, & ut talis nec accusari, nec condemnari, nec puniri justè potest continuato contra absentem processu, vel immisione Adversarii in bona. Forètque talis Processus omnino nullus nullitate insanabili. l. 1. c. Si à non compet. c. 3. de Consuet. c. at si Clerici de Judic. Judex verò, uti & Adversarius Wolfgangi, non modò graviter peccarent simile quid attentando. per can. 3. 17. caus. 11. q. 1. Sed etiam periculo excommunicationis lata à Bulla Cœnæ casu 15. se exponerent; quod utique de Catholicis probisque viris præsumendum non est.

Accedit pro Wolfgangi liberatione à respondendo specialis inhibitiio legitimi Superioris Ecclesiastici, quæ omnem doli & culpæ, quæ aliàs in non comparente, & exceptionem fori opponente, fortè præsumi posset, suspicionem manifestè tollit;

tollit; quod enim quis mandato facit Judicis (Superioris) dolo facere non videtur; cum habeat parere necesse. c. 24. de R. J. in 6. Et ejus nulla culpa est, cui parere necesse sit. l. 169. ff. eod. est autem necesse legitimo Superiori parere. Necessitas quoque, quam habet Wolfgangus à Superiore prohibitus comparere, ad non comparendum & respondendum, facit cessare præsumptionem doli. per l. 2. C. de calumniat. imò inducit præsumptionem contrariam omnis doli & fraudis absentis. l. 18. §. 1. de solut. quia Judex vel Superior justè facere, jubere, & prohibere præsumitur. c. 18. in f. de sent. & re jud. l. fin. C. de Offic. Civilium Judicum. ubi autem est justa jussio, justa prohibitio, justa quoque & extra omnem doli & culpæ, quæ in omni contumacia essentialiter requiritur, suspicionem posita est obtemperatio: nec enim ille duntaxat, qui Judicis, & multò magis Principis. l. 23. ff. de aq. & plur. arcend. Sed etiam qui Patris, Prælati, & cujuscunque Superioris legitimi mandato obtemperat, à dolo & culpa excusatur, cum parere etiam iste habeat necesse. Pechius ad c. 24. de R. J. in 6. P. Wiestner ibid. n. 2. In specie imperium Superioris excusat citatum à contumacia in comparando. Text. D. D. & Bruneman. n. 3. in l. 2. §. 9. ff. Siquis cautionib. in Judicio. P. Wiestner b. t. n. 39. Textus cit. leg. sic habet: simili modo exceptio datur ei, qui, cum ad Judicium venire volebat, à Magistratu retentus est. Imò omni Jure, & jux-

ta omnes, contumax esse non tenetur, cui impossibile est venire; ad impossibilia nemo tenetur. c. de R. J. in 6. est autem Wolfgangus nostro impossibile coram Laico comparere, partim quia Jus Sacrum reclamatur, partim quia Superiori parere tenetur, prohibet; nam id non minus quis posse dicitur, quod non contra Jus, per l. Nepos. Proculo ff. de V. S. c. Cum dilectus 8. de Consi. & quod honestè & licitè potest per d. l. Nepos. Surdas cons. 203. n. 4. Barbosa axiom. 184. n. 5. 6.

Cum igitur Wolfgangus una cum exceptione fori declinatoria generaliter simul porrexerit Scriptum, in quo videnter docet suam à foro Laicali Corpore Juris comprehensionem, & multo tenorem prohibitionis, necesse est ut appareat in effectu coram Judice Laico sibi factæ à legitimo Superiore, quidem non eo animo, ut litem contestetur, sed præcisè ut inde infirmitus Judex ab ulteriori citatione sistat tanquam incompetens, non deo, qui ullam rationem probabilem habere possit timendi apud Catholicum & Jurium intelligentem, nec contumacia in contumaciam, & processus contra se absentem formatus aut aliqua Adversarii immisio in bonam vel fiat, præsertim cum & ipsa citatio ab incompetente facta, omnino invalida sit, nec citatum constituat mora. textus in l. 23. ff. de Judic. l. ff. si quis in Jus vocat. c. fin. de Juri. Civ.

*Clem. Pastoralis de sent. & re jud. gl. in c. veniens v. propter de accusat.* Et quivis debeat citatus comparere in dubio, & incompetentiam Judicis allegare, textus in *d. l. 2. § c. veniens de accusat.* ibique D. D. communiter; tamen, ubi notorium est Judicem jurisdictione carere, uti fit, si Laicus citari faciat Clericum maximè in causa personalis, nec necesse foret se sistere. Quia communiter approbata in *c. si datus 7. v. nisi cognoverit de Appellat.* Et ibidem *n. 6.*

Opposita nullo negotio diluuntur. *Primum* procedit in casu, quo non datur justa excusatio, vel non notoria incompetencia; licet enim propter *l. n. ff. de judic.* debeat venire, qui ex aliena Jurisdictione citatus est, ut opponat suam exemptionem à jurisdictione Judicis citantis, si ejus exemptio non sit notoria, vel non competentia in Corpore Juris, sed tantum competat jure vel privilegio speciali: non tamen tenetur venire etiam ad proponendam suam exemptionem (uti tamen supererogatorie fecit Wolfgangus noster) si ea sit notoria, & comprehensa in Corpore Juris, uti Doctores passim exemplificant in casu, quo Clericus citatur à Judice Laico; cum ejus exemptio sit notoria, & in Corpore Juris clausa, quod nec ipse Judex ignorare præsumentur. Idem est, si Judici citanti nulla est Jurisdictio in citatum, uti Laico in Clericum. Perez, Gratianus, Janus Clarus, Sanchez apud & cum P. *Friederich de for. comp. n. 16. § n. 80.* (R. P. P. bier Decisiones.)

Andreas Gail *l. 1. observ. 48. n. 9.* apud & cum D. à Widmont *ad ff. tit. si quis in jus vocatus. § c. n. 34.* ac apud alios alii passim. *Secundum* tam diu nihil juvat citantem, quamdiu manifestè non constiterit, an in hoc casu Clericus subfit jurisdictioni Laicali: si Clericus conveniatur actione vel remedio personali ex contractu, etiam circa bona temporalia, descendente, nullo modo constat, imò nullatenus probari potest, Clericum subjacere jurisdictioni Laici, sed potius de opposito constat, præscindendo hic & nunc, quid sentiendum, si super bona temporalia conveniatur actione reali. *Tertium* evidenter est falsum, quòd pro Judice Laico stet præsumptio Juris, & is in possessione sit juris citandi Clericum: oppositum est manifestè in Jure expressum, nec minùs incompetentiam suam Judex ipse præsumitur nòsse contra Clericum, atque Clericus citatus suam exemptionem, utpote in Corpore juris comprehensam clarissimè. *Quartum* limitatur: Judicis est cognoscere de sua competentia, si est dubium, an sit competens vel non, item, si objectum, de quo cognoscere deberet, non sit extra sphaeram illius, *conceditur*: si verò certum sit, se non esse competentem, uti certum est ex Jure manifestò, quòd respectu Clerici non sit competens, vel objectum, de quo cognoscere deberet, sit extra illius sphaeram, uti est, si deberet cognoscere Laicus, an causa sit spiritualis vel non, Reus conventus Clericus vel

O o

non

non, aut an Clericus, qui per se & de Jure notorio est exemptus, hic & nunc & in hoc casu sit subjectus suæ jurisdictioni, nec ne, negatur & pernegatur. Unde, licet post primam citationem attentasset Judicialiter cognoscere, an hic & nunc habeat jurisdictionem in Wolfgangum Clericum & pronuntiasset, se habere, & cognitio & pronuntiatio super hoc objecto propter defectum jurisdictionis fuisset nulla, & egressio limitum potestatis. per c. 3. de Ord. cognit. c. 5. c. 13. qui filii. c. 12. de sent. Excomm. in 6. Petrus Barbosa in l. 5. C. de Judic. n. 101. Panormit. in c. 12. de for. comp. c. n. 33. Dec. in c. si duobus de Appellat. Marta de jurisdict. p. 2. c. 4. n. 5. Oliva de foro Eccles. p. 1. q. 26. n. 51. P. Friderich trad. cit. n. 21. 251. 630. seq. & alii plerique omnes.

Quintum in Minore assumit falsum; non enim Princeps fecit transactionem, sed Partes litigantes, ratificante licet Principe: dein sicut actio ex contractu descendens est personalis, ita & actio ad distractum tendens, & ad rescindendum contractum, est personalis: ergo contra Clericum coram Judice Laico secundum manifesta Jura intentari non potest. Agens ad distractum tenetur sequi forum Rei, ait Godefrid. ad l. 2. C. ubi Sapud quem cognitio in integrum, cujus notabilis est iste textus: quoniam ea, que in transactionem dari placuerat, te tradidisse proponis, consequens est, si de his repetendis per in integrum restitutionem, vel

quancunque aliam causam, putari agendum ejus adire te provincie fidei, in qua domicilium habent, convenis: ergo forum Rei adiri debet ab eo, qui agit ad rescindendam actionem, vel ad obtinendam restitutionem in integrum: sed forum Reus scilicet Wolfgangi utpote Clerici, Ecclesiasticum: ergo. Quod translatum fit inita coram Judice Laico, occasione litis coram eo mora contigit quia tum Wolfgangus erat Actor, Grienthallius erat Reus ad forum Principis Laici pertinens, adeoque conveniendus. Nunc mutata est conditio litigantium; nam Grienthallius vult esse Actor, & Wolfgangus Clericus deberet esse Reus: ille debet accedere forum istius, non pe Ecclesiasticum, sicut Wolfgangus Actor debuit sequi forum Grienthallii tanquam Rei, atque in hoc casu applicari melius potest illud axiomat. contrariorum eadem est ratio. Deque Sextum non procedit, quia Judex nec potest esse competens respectu citati, uti est Laicus respectu Clerici; vel, ubi potest quidem competens per prorogationem verberum consensum citati, tamen notorium est, quod non sit; tunc enim neque comparere ad excipiendum citatus, multo minus comparere sub dicta protestatione, quantum de Jure tenetur; hac protestatio insinuat, dubium aliquod esse, an citatus non subsit jurisdictioni citantis, & solum habet locum, ut

competentia est dubia. D. à Widmont  
la. cit. n. 37. in nostro autem casu du-  
bium tale non datur, sed manifestè

Wolfgangum eximit, & ab omni  
contumacia purgat qualitas Clericalis,  
& Superioris prohibitio specialis.



# TITULUS XV.

De eo, qui mittitur in possessionem causâ  
rei servandæ.

## DECISIO LVIII.

De Creditore contra Debitorem contumacem  
agente.

### SPECIES FACTI.

Diepoldus Nobilis Bavarus in Uni-  
versitate Ingolstadiensi per sex  
annos versatus apud Urbanum bene  
habentem Civem ejusdem urbis, ubi  
hospitabatur convenienti cubiculo &  
decenti victu fruitus, successivè sat  
magnum debitum contraxit, nimirum  
1000. florenorum, quos Urbanus ei-  
dem suppeditavit, partim in alimen-  
ta, partim in vestimenta ipsius. Ab-  
solutis studiis, cum non esset solven-  
do, bonis quidem verbis & spe sol-  
vendi interesse pro credita summa la-  
cavit Urbanum, sed nec de summa

nec de censibus promissis quidquam  
perfolvit, ut tandem Urbanus multo-  
rum annorum moræ impatiens coram  
quodam Baviaræ Excelso Regimine,  
in cujus finibus divitem Diepoldus  
Hoffmarchiam, licèt debitis multum  
oneratam, possidet, eundem convé-  
nit, & post primam, secundam, &  
tertiam citationem contumaciter non  
comparente Diepoldo in possessio-  
nem Hoffmarchiæ pro quantitate de-  
biti petiit immitti accusatâ priùs con-  
tumaciâ. Ex quo nascitur

### QUÆSTIO.

An Reo contumaciter absente possit & debeat Actor mitti  
in possessionem bonorum Rei, & quomodo?

Missionem in possessionem appa-  
renter non leviam dissuadent ar-

gumenta. I. Missio in possessionem  
bonorum ex decreto Judicis facienda

